kat.komp.
53199 /1
BIBLIOTHECA UNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS
I. Mag. St. Dr. P

Frankini Hieronymi: Theorognosia animastica et metaphysica.

THEOROGNOSIA ANIMASTICA

ET

METAPHYSICA,

In Almâ
ACADEMIA CRACOVIENSI,

A Rndo D. HIERONYMO FRANKINI Præposito Kryztoporiensi, Cursus Wladislauiani & Iuris Vtq; auditore euigilata.

ET AB EODEM,

In peraugusto IAGELLONIANÆ Domus DD. Theologorum Lectorio publicè Disputationis trutinæ obiecta.

PRÆSIDENTE

Excell: D. ALBERTO DĄBROWSKI, *Collega Minore, nuper eiusdem Cursus Władislauiani Professore, A. D.* 1642. *Sept:* 22. *ho:* 19.

CRACOVIÆ,
In Officinâ Typogra: Valeriani Piątkowski.

BJC

In Stemma Illustrissimæ Gentis: DANIŁOVICIANÆ.



53199

Cynthia penniferam iaculatur, Luna, Sagittam;
Cornibus in geminis, quę gerit Astra duo.
Non tangit metam, meta est nam nulla Sagittę,
Quę, toto, clarum gestat, in orbe, decus:
Dirigit at celerem Cursum super Æthera: meta
Quòd DANILOVICIIS, *facta sit, ipse* DEVS.

Marcinus Frankin, Stud: Eloqu.

Illustrißimo ac Magnifico Domino,

D. IOANNI NICOLAO

à ZVROW

DAŃIŁOWICZ,

Supremo Regni

THESAVRARIO,

Premislien: Samborien: Drohobycē: Colsen: Korsunen: Ratinen: &c.&c.

CAPITANEO.

Dño & Mecænati ampliss.

OCcupationes Virorum literatorum grauissimę, laboresq; im̃ensi, quos honestissimarum disciplinarum & humanitatis studia Vocamus, semper principum tutelâ protecti, in lucem publicam prodire expetiuerunt Illustrissime Dñe: adeò vt reperire liceat neminem: quicúnq; aliquod opus suæ lucubrationis, Typis, & seræ posteritati mandandum cogitaret: qui Patronum ex Præclarissimis Magnatibus, & sibi, suisq; conatibus, fauentissimum Mecænatem non quæsierit. Nec iniuria: plebs enim, quæ nihil excelsum, nihil dignum immortali gloriâ, & Verâ laudis commendatione cogitat: Vtpotè quod nullo sensu posteritatis, & sempiternæ memoriæ ducatur, hostilem in modum furit in musas.

Cæterum

Cæterùm principes, quia laborioſis Virorum Doctiſsimorum lucubrationibus nihil intelligant eſſe præclarius, præſtantius, & accommodatius, ad glorioſi nominis famam Comparandam, nunquam intermorituram: idcirco eaſdem appetant non tantùm ſingulari patrocinio Complecti; ſed etiam, ne cuiuſpiam furioſi hominis, temerario auſu diuexentur, auxiliarem defenſionem, & dexteram potentem ſoleant opponere. Verumenimuerò vnde? aut à quo Heroum Præſtantiſsimorum, certius & paratius auxilium, optimarum artium literæ, debeant ſibi polliceri? tum quoq; mea Tui clientis humillima Theorognoſis, quæ ſe periculis Stagiritici certaminis obiicit? niſi Illuſtriſsime Domine, à Tuis Armis gentilitiis, atq; Lunâ, maximis Virtutum Excellentiſsimarum decoribus, & ſplendore, coruſcante. Luna enim Tua, quam ſagittâ potenti obarmatam contemplor; quid aliud, niſi aduerſa molientibus, ictum terribilem portendere cenſetur? mihi Verò imperterritum animi robur, mentemq; radio lucis ſuæ ſulgentiſsimæ colluſtratam, ominatur. Priſca illa antiquitas, quod multa comminiſcatur de Pallade, id eſt de Lunâ, (nam & hoc nomine Conſtat Vocitatam fuiſſe) dum illam ſagittis & arcu armatam fingat; demum quod credat, quaſi non tantùm præſes Muſarum, ſed ſimul ipſarum acerrima protectrix & defenſatrix exiſtat; equidem ſub alienis exemplis, expreſſam rationem Tui gentilitii ſplendoris intelligendam, exiſtimo. Omnia hæc, quæ de Pallade circumferũtur, mera ſunt ingenioſiſsimorum Poëtarum figmenta. Porrò cum Te Viri literarum cultui arctiſsimè aſtricti, ſuum communem Fautorem, Patronum, & admirabili fatorum benignitate datum Protectorem, linguis & ſermonibus pulcherrimis, gentium vbiq; recognoſcant; quis hæc profectò veriſsima non acceptabit? Ita ſe rem habère, permultæ auguſtiſsimarum Religionum familiæ deprædicant: atq; Academiæ IAGELLONIANÆ, inſigni eruditionis gloriâ florentiſsimi profeſſores: qui Panegyres, Iudicia Aſtrologica: & alia

& alia elogiorum magnificentissimorum Confecta encomia, Tuo nomini amplissimo consecrata, dedicant. Tu enim Virorum Doctissimorum ingenia, Tuâ gratiâ, humanitate, magnificentia, affabilitate, cæterisq; munificentiæ & liberalitatis auxiliis: ita feliciter fecundis promoues, & ad facienda quæuis ampliora incrementa, erigis: vt quod maxima & proficua excrescant, ad cultum Dei propagandum, ad defendendam afflictæ Ecclesiæ pacem, ad consilia uberrima casibus in dubiis Reipub. subministranda: id totum acceptum Tuæ gentilitiæ Lunæ, Tuoq; humanissimo Polluci & Castori libenter referunt. Atq; verò hîc subitò venit mihi in mentem recordari, quid effecerit? quod Tui nominis augustissima fama, extra patrios terminos, vsq; ad gentes cùm finitimas, tùm magnâ locorum distantiâ disiunctissimas euolauerit? quodue arctissimo affinitatis nexu, consociationem contractam, cum Familiâ Illustrissimâ Tecini-orum, Ossoliniorum, Sobiesciorum & Zebrzidoviorum firmaueris? nisi quod Tua Luna meritis & amplitudine rerum gloriosissimè gestarum, eas ferè orbis terrarum Partes, quas & superior Luna, dum cælestium Plagarum regiones peruagatur, illustret. Quapropter si Tua Luna quemlibet mortalium, ad sese trahat, radiis suæ beneficentiæ, & omnium Virtutum incredibili splendore: quis ergo me Tuum Clientem putabit temerè, aut præcipiti audaciâ, adductum facere? quod confidenter cum meâ Theorognosiâ, in Tuum Conspectum amplissimum prodeam; eamq; & mea simul vniuersa studia, labores, conatus, lucubrationes Tuæ protectioni perquam submissè subiiciam & consecrem. Multa Tua beneficia in mentium nostrarum memoriâ defixa sunt; quæ gratissimo animo semper recogitamus. Non enim me solùm; sed omnium meorum dignitatem constantissimè auges: & quamuis scias minùs meritos: studio tamen ardentissimo, amore, & beneuolentiâ singulari, ita complecteris, foues, & diligentissimâ cum fidelitate promoues: Vt nos omnes velis

esse, omnium optimarum rerum accessione, florentissimos. Vehementer igitur Cupio fieri, pignus & argumentum meæ ergà Te obseruantiæ, istud meum studium, in spaciis Almæ Academiæ Cracouiensis, diurnis nocturnisq; meditationibus euigilatum: quod Illustrissime Dñe, benigno vultu, gratâ animi moderatione, vt recipere velis, maiorem in modum oro & obsecro. Demum quod superest, vt felicissimè valeas, diutissimè viuas, ac gloriosissimè perennes Deum Optimum maximum oro semperq; orabo. Datum Crac. è meo Musæo. Die 1. Septemb. Anno Domini 1642.

Illustrissimæ Amplitudinis Tuæ

Cliens humillimus

& apud Deum exorator.

Hieronymus Frankini
Præpositus Kryztoporiensis
Phil. & I. Vtq; Aud.

THEORGNOSIÆ

PRIMA PARS.

De Quiditate Animæ.

1\. INquiſitionem Animæ, quam ad naturalem Philoſophiam, pertinere dicimus: Conſtat, præter Diuinam, cæteris eſſe nobiliorem: cùm ex parte obiecti: tùm ex parte certitudinis intellectus. Eſt eadem Anima, neq; temperamentum primarum quatuor qualitatum: neq; vapor; neque Harmonia &c. vt ex antiquis multi voluerunt; ſed de genere ſubſtantiæ; non tamen eſt Corpus, niſi fortè vt Quo.

2 OPtimè Eſſentiam Animæ duabus definitionibus Ariſt: explicuit. Definit eam primò: Anima eſt Actus, primus, corporis Organici Phyſici, potentiâ vitam habentis: quæ definitio Eſſentialis habetur: & conuenit omnibus Animabus, etiam Rationali. Definit ſecundò: Anima eſt principium, quô viuimus, mouemur

uemur, & intelligimus. Hæc illam priorem conuenienter demonstrat; licèt à posteriori: Vnde descriptiua, non Quiditatiua affirmatur esse.

3 ANima rectè diuiditur in Vegetatiuam, Sensitiuam, & Intellectiuam; plures non dantur. Est autē hæc diuisio Vniuoca, non Analoga: numerantur tamen gradus viuendi quatuor: nēpe Vegetatiuus, sensitiuus, loco motiuus, & Intellectiuus.

De potentijs Animæ in Communi.

4 NOn dantur plura genera potentiarum Vitalium animæ, nisi quinq; vegetatiuum, sensitiuum, appetitiuum, loco motiuum, & intellectiuum: quanquam non negamus dari subdiuisiones. Distinguuntur inter se realiter. Specificationem autem & distinctionem, quam habent, eam ex ordine ad Actus & Obiecta formalia sortiuntur. In obiectis non omnino requiritur diuersitas realis: Cæterùm ipsi Actus, in quantum in ratione actus considerantur, ex habitudine ad obiecta formalia essentialiter specificantur.

Nomi-

5. NOminatas potentias, distingui realiter ab ipsâ Animâ, vt Veritati consentaneum amplectimur: quod intellige, non solùm de potentiis Animæ intellectiuæ, sed simul sensitiuæ, & vegetatiuæ. Dimanant ab Animâ, eodem ferè instanti, quo ipsa producitur: hinc ipsarum causatio, propriè naturalis resultantia vocanda, impropriè efficientia. Potentiæ sunt duplices Organicæ & Inorganicæ: hæ vt intellectus, voluntas, & memoria, in ipsâ Animâ velut in subiecto recipiuntur: illæ verò in composito; & in Animâ, solùm vt in radice & principio.

De Animâ Vegetatiuâ.

6. INter Animas, Vegetatiuam dicimus esse Communissimam: eandemq; diuisibilem. Reperitur in plantis, Arboribus, herbis, floribus, tanquam in subiectis suæ informationi conuenientibus. Hinc sensitiuam, aut Intellectiuam non decet, vt habeant: licet Stoici, Plato & Pythagoræi contrarium senserint.

7. NOtitia Animæ vegetatiuæ, optimè inclarescit ex his cognitis: nempe quid sit? quas

operationes habeat? quod obiectum? Organum? ac deinceps potentias? quæ sunt Nutritiua, Augmentatiua, & generatiua. Diuiditur in eas, vt, quoddam totum virtuale, vel potestatiuum. A se inuicem realiter separantur: vnde nutritiua, & Augmentatiua non reputantur pro vnâ, eademq; potentiâ.

8. IN specie generare sibi simile, naturalissimum est omnibus viuentibus: cùm vegetatiua sit principium generandi tale, quale ipsa est: naturalissimum tamen sumatur, pro quadam naturæ præcipuâ inclinatione & propensione. Ad generatiuam ordinatur nutritiua & Augmentatiua: quanquam obligatur viuens, magis ad propriam vitam conseruandam, quam ad faciendam generationem.

9. COr in generatione, ante omnia membra primò efformatur, ceu fons & principium vitæ: Animalia quæ producuntur ex putrefactâ materiâ, constat esse eiusdem speciei, cum productis per generationem.

De Animâ Sensitiuâ.

10. OPportunè tenetur, cùm sit longè probabiliùs, quod Anima sensitiua Animalium perfecto-

fectorum ſit indiuiſibilis: ſecus tamen ſentiendum de imperfectis, qualia ſunt ſerpentes, lacertæ, veſpæ &c. Quanquam hæc, vt factâ diuiſione viuant; non diuidantur in longùm, neq; in partes nimis minutas: nam vita in eis, poſtulat partes, ſub iuſtâ quantitate.

11. LIbet hanc definitionem ſenſus, tanquam ſufficientem acceptare; quâ definitur: quòd ſit ſuſceptiuus ſpecierum ſine materiâ, quæ ſunt proximum principium, cognitionis ſenſitiuæ, non tamen abſtrahunt ab hic & nunc: quare ſenſus potiori iure dicitur potentia paſsiua. Ad ſenſationem eliciendam potentia & obiectum concurrunt: nec receptio ſpeciei, dici poteſt ipſamet ſenſatio. Agens ſenſus non datur. Numerantur ſenſus quinq;, viſus, Auditus, Guſtus, Olfactus, & Tactus.

De ſenſibilibus ſeu Obiectis ſenſuum in Communi.

12. APtè diuiditur ſenſibile in per ſe & per accidēs iterum per ſe in proprium & commune. Proprium voco, quod ab vno, & non alio ſenſu percipitur: per accidens quod ratione alterius

 ſenti-

sentitur: Commune quod à pluribus sensibus attingitur, vt sunt motus, quies, numerus, figura, & magnitudo. Est verò natura sensibilis communis, vt speciem non imprimat in sensum, quæ sit distincta, à specie sensibilis proprii, sed solùm, vt ipsam modificet: hæc autem modificatio per se requiritur ad sensationem.

13. OPortet vt sensus externi, ad eliciendas sensationes habeant medium: proinde visibile positum supra oculum non videtur. Excellens obiectum corrumpit sensum. Circa proprium sensibile non errat sensus: at circa sensibilia communia, & peraccidens potest errare. Habet sensus pro obiecto vniuersale; licet singularitas requiratur, tanquam Ratio, sub quâ attingitur tale obiectum: vnde visus non videt coloratum, nisi sub ratione huius, aut illius colorati.

De sensibus Externis in Communi.

14. DAtur proprium obiectum visus, Color in communi acceptus: qui secundum se visibilis est; quapropter lux extranea, & medium illuminatum, habent se tanquam conditiones

tiones requisitæ. Organum visus pupilla assignatur. Lumen in medio habet Esse reale; in potentiâ autem Intentionale. Non efficitur visio, per emissionem radiorum, sed per intus susceptionem specierum.

15. AVditus adæquatum obiectum, non aliud statuitur, nisi sonus: quem dicimus esse qualitatem resultantem ex forti percussione corporum sonororum, & medii resilientiâ. Vnde sonus non est idem, quod motus aeris. Subiectum ipsius non sunt corpora sese collidentia, sed corpus medium nempe Aer, si sit sonus perfectus. Potest sonus, secundùm Esse reale, ad aliquam partem medii realiter deferri, iuxta exigentiam, & virtutem corporum se mutuò collidentium; non tamen necesse, vt vsq; ad Auditum realiter perueniat, sed sufficit vt intentionaliter. Organum Auditus consistit, in substantiâ quadam aereâ & spirituosâ, quæ intra Aures animalis reperitur: seu in aere connaturali qui intra vtriusq; auris tympanum existit.

16. NActus est cæteris animalibus homo deteriorem odoratum. Denominatur autem odoratus ab odore, tanquam suo obiecto adæquato. Causatur plerumq; odor, quando

 calor

calor externus resoluit rem odoriferam; qui odor licet deprehendatur secundùm Esse reale, in medio propinquo; tamen in medio distanti sufficit, vt sit secundùm Esse intentionale. Organum Olfactus collocatur, in duabus Carunculis proximis cerebro; quas mamillares à similitudine mamillarum nuncupant Philosophi. Duplex medium Olfactui conceditur, Aer & Aqua.

17. IMmutatur gustus, non ab alio obiecto sibi proportionato, nisi à Sapore. Habet medium Intraneum, scilicet carnem porosam, in superficie linguæ extensam, & superpositam neruo sentienti sapores. Cæterùm Organum gustus, est neruus à cerebro descendens & veluti rete per totam linguam diffusus: ita tamen, vt in cuspide linguæ, vis gustatiua magis vigeat. Organum gustus non debet esse actu humidum, sed in potentiâ: intellige tamen non de naturali, sed saporosâ humiditate; quam oportet vt maius dominium habeat supra siccitatem, quemadmodum in Olfactu siccitas supra humiditatem.

18. LIcet Arist. lib. 2. de Ani. tex. 116. dicat: quod Caro respectu Tactus ita se habeat, sicut aer respectu

respectu visus: tamen intellige carnem, mediũ Intrinsecum esse, Aerem autem Extrinsecum. Obiectum Tactus sunt qualitates non modò primæ, vt caliditas, frigiditas, siccitas, & humiditas: sed etiam secundæ vt durities, mollities, scabrities &c. in quantum tamen sub vnâ ratione Tangibilis concipiuntur. Cæterùm neruus, qui instar retis, per totum corpus Animalis diffunditur, habens plurimos surculos, pro Organo eidem sensui deputatur. Tactus est vnus specie non multiplex. Distinguitnr realiter à sensu gustus.

De sensibus Internis.

19. Opponeret se veritati manifestæ, qui negaret dari sensus internos; cum ipsamet Bruta, res in absentiâ cognoscant, discernant, recordentur, somnient &c. Appellantur Intrinseci, quia suas sedes possederunt intra Cellulas, & Organa capitis. Sunt materiales.

20 Visus, Auditus; aliiq; sensus exteriores, quoniam nequeunt suas operationes percipere, nisi fortè imperfectè, neq; inter sensibilia discretionem vel conuenientiam ponere, ita

vt vnus

vt vnus ſenſus de obiecto alterius iudicet: ideo præter ſenſus externos, datur ſenſus communis, tanquam potentia ſuperior ad quam pertineat, iudicium formare de operationibus, & obiectis ſenſuum particularium. Vnum tamen, non plures ſtatuimus eſſe.

21. INteriores ſenſus numero ſunt quatuor: inter quos primus numeratur prædictus ſenſus communis: eum ſequitur Imaginatiua, ſeu phantaſia: tandem æſtimatiua, quæ in hominibus Cogitatiua, vel Ratio particularis poteſt nuncupari: deinceps memoria, quæ etiam in homine à reminiſcentiâ non diſtinguitur. Quanquã æſtimatiua in homine, tametſi formet propoſitiones & diſcurſus circa ſingularia: id tamen ei, non ex propriis meritis conuenit, verùm ex coniunctione ad Intellectum. Omnes ſenſus prædicti ſunt inter ſe realiter diſtincti.

22. COmmunis ſenſus, in primâ parte frontis, ſuam ſedem poſſedit: vbi etiam ſenſuum Externorum nerui à cerebro deſcendentes vniuntur: tandem ei ferme immediatè coniunctum eſt Organum Imaginatiuæ. Cæterùm æſtimatiua poſt mediam partem cerebri collocatur memoria autem declinat ad partem vltimã

vltimam capitis, ſeu ad occipitium. Atq; verò hi ſenſus interni, ita Animalibus conueniunt: Vt non omnes omnibus; excepto ſenſu communi, quem tam perfecta Animalia quam imperfecta habent.

De Animâ Intellectiuâ.

23. SPiritus immortalis, incorruptibilis, & indiuiſibilis eſt Anima intellectiua: à ſolo Deo creata: non ante Corpus ſed ſimul cum corpore: cui vnitur tanquam forma realis dans ipſi Eſſe. Eſt autem Anima Intellectiua, tota in toto corpore, & tota in qualibet parte: quanquam non eodem modo reſpicit totum corpus quod informat, & ſuas partes. Eadem Anima Intellectiua Crinibus, Dentibus, Vnguibus, Sanguini, & reliquis humoribus dat informationem.

24. VNum quoniam eſt ſubiectum homo, non igitur credibile cenſendum, quod tribus diſtinctis Animabus informetur: cum natura ſuperfluum odio proſequatur. Quapropter nec forma corporeitatis, in eodem reperitur, niſi ſola Anima Inrellectiua, à quâ omnes gradus promanant.

25. PRobabiliùs putandum esse, quod non modo Intellectus possibilis; sed etiam Agens detur.: qui à se inuicem distinguuntur realiter. Quanquam possibilis Intellectus licet dicatur esse pura potentia; id tamen intelligendum non in genere Entium, sicut materia prima, sed in genere intelligibilium. Non cognoscit se directè. Est verò Intellectus possibilis obiectum proportionatum (vulgò dictum motiuum) quatenus pro hoc statu considératur quiditas rei materialis, vt abstracta à conditionibus materialibus indiuiduantibus. Intellectus possibilis dantur duæ operationes, simplicium apprehensio: Compositio & diuisio: sub hac operatione virtualiter continetur discursus, quem vocamus Tertiam operationem. Cæterùm intellectus Agentis hæc sunt officia, nempe vt denudet phantasmata à conditionibus indiuiduantibus: vt faciat intelligibilia in potentiâ intelligibilia in actu: vt Species intelligibiles offerat intellectui posibili, &c.

De Speciebus Intelligibilibus.

Recipi-

26. R. Ecipitur ſpecies Intelligibilis in Intellectũ poſsibili, vt ipſum actuet, & ponat in actu primo; ſicut forma actuat materiã. Quanquam ſpecies intelligibiles ſunt in duplici differentiâ: quædam vocantur Impreſſæ, & hæ cõſtituunt Intellectum in actu primo: quædam expreſſæ, aliâs vocantur verba mentis, & hæ conſtituunt intellectum in actu ſecundo. Species impreſſæ Intelligibiles repræſentant formaliter ſua obiecta: non tamen concurrunt partialiter principaliter cum intellectu ad Intellectionem: ipſam enim principaliùs efficit intellectus: imò non vt pars, ſed vt vnum totum principium intellectionis, maximè quando informatus ſpecie, eſt vnum idemq; formaliter factus cum ipsâ.

27. EXpoſcit ratio intellectionis, vt intelligens pro hoc ſtatu phantaſmata ſpeculetur: ſine quibus nihil intelligitur. Intellectus Practicus & ſpeculatiuus non differunt inter ſe realiter: nec memoria intellectiua ab intellectu poſſibili. Synderesis non dicitur eſſe potentia peculiaris Animæ intellectiuæ, ſed habitus naturalis primorum principiorum operabilium: Cuius actus eſt conſcientia, quæ vocatur applicatio eorundẽ principiorũ ad operandũ.

THEOROGNOSIÆ ALTERA PARS.

De Quiditate Metaphysices.

28. MEtaphysica quantam suæ dignitatis vim & excellentiam, super vniuersas bonarum artium disciplinas possideat, est non pertenui argumento summa ipsius necessitas: cum eâ noster intellectus: Res scibiles: principia scientifica: ac rerum Diuinarum indagatrix Theologia, non mediocriter indigeat: iuxta illud: Bonum metaphysicum, optimum fieri Theologum.

Bonus Metaphisicus Optimus Theologus

29. OMnibus scientiis eadem metaphysica est prior: licet quoad nos considerata dicatur esse posterior. Est verè illa sapientia, cùm per supremas causas, & prima principia procedat. Vnde scientia aut Ars, duntaxat secundùm Communem Vsurpationem potest nuncupari.

30. REfertur ad habitum speculatiuum, tanquam merè speculatiua. Attributa hæc præcipuè habet: quod sit libera, Diuina possessio, hono-

Honorabilissima, maximè Intellectualis, Architectonica, Theologia &c.

31. ET quamuis rerum diuersarum naturas considerat: non tamen multiplicem, sed vnam secundùm speciem atomam dicimus esse. Datur appetitus triplex: naturalis, Animalis, & Intellectualis: sed appetitu naturali homines ad metaphysicam inclinantur: nihil obstante, etiamsi ab indigentibus, quæstuariis, pigris, aut voluptatem potius, quàm honestatem sectantibus negligi videatur.

32. GEnera scientiarum, quæ nostro intellectui excolendo inseruiunt, numerantur duo: quædam enim scientiæ sunt vniuersales; quædam particulares. Metaphysica cùm sit scientia vniuersalis, meritò sibi appropriat, vt se inferiorum & particularium quod quid est contempletur: idq; iuxta prædicata communissima, quæ virtualiter ingredi in Quiditates rerum est necesse: Easdem sibi subalternat, licèt non propriâ subalternatione.

33. NEq; Deus gloriosus; neq; decem Categoriarum genera: neq; substantia separata: neq; causa vt causa &c. assignatur pro obiecto adæquato metaphysicæ: sed Ens quateuus se

nus se suâ communitate extendit ad Deum & creaturas; ad substantiam & Accidens; ad Ens Reale & Rationis &c.

De Naturâ Transcendentium.

34. INnotescit natura optimè Transcendentis, cùm definitur: quod sit attributum vniuersale, quod de rebus omnibus prædicatur, cum quibus cohæret. Eius conceptus consistit, in amplitudine quoad res, non verò in separatione à rebus. Sunt Transcendentia duplicia simplicia & coniuncta. Simplicia vocantur, Ens, Vnum, Verum, Bonum; coniuncta verò ad eum sensum efferuntur v.g. causa vel effectus, principium vel principiatum, idem vel diuersum &c. *I*lla per se & simpliciter de rebus omnibus prædicantur: hæc verò cum disiunctione, dicendo omne Ens est causa vel effectus &c. *I*terum Transcendens dicitur aliud proprium, aliud improprium.

35. TEnere quod Transcendentium sit numerus quaternarius, minimè à veritate est alienũ: quamuis si ipsorum etiam senarius constituatur probabilitate non careat: nempe Ens quod

quod ſumitur ab actu Eſſendi, Res autem ab Eſ-ſentiâ vel Quiditate, vnum à ſui indiuiſione; Aliquid à diuiſione aliorum: Verum à conue-nientia Entis ad Intellectum: Bonum à con-uenientiâ Entis ad appetitum.

De Conceptu Entis.

36. HVius ſcientiæ ſubiectum, quod diximus eſ-ſe Ens, quoniam iiſdem conditionibus ſub-iaceat, quibus ſubſunt ſubiecta aliarum ſci-entiarum; proinde oportet ipſum habere cau-ſas & principia ſaltem cognitionis, iuxta exigen tiam naturæ vniuscuiuſq; ſubiecti. Principia intrinſeca quæ ſunt materia & forma non po-teſt habere: imò neq; Extrinſeca; niſi quando conſideratur materialiter ſeu in inferioribus.

37. ENs, omnibus rebus & naturis attribuitur. Enti Reali & Rationis: Deo & Creaturis: Subſtantiæ & Accidenti: intellige tamen eiuſmodi attributionem, non eſſe æquiuocam: aut Vniuocam: ſed Analogam; ſiue ſit Analo-giæ proportionis ſiue attributionis.

38. STatuuntur multiplices conceptus: Formalis & Obiectiuus: perfectus & imperfectus: Ad-

æquatũ,

æquatus & Inadæquatus: Distinctus & Confusus: Absolutus & proportionalis &c. Entis igitur datur quidem conceptus formalis, sed imperfectus & inadæquatus, per quem inadæquatè sua inferiora repræsentat: ita quoq; obiectiuus datur, qui nec est perfectè, nec re ipsâ præcisus à naturâ, seu conceptibus suorum inferiorum, substantiæ scilicet & Accidentis.

39. AD notitiam nostro intellectui, quod se primò & tanquam primum cognitum offerat: non est quidpiam aliud, nisi ipsum Ens; cognoscens illud cognitione Actuali confusâ. Vnde singulare non potest dici primum cognitum nostri Intellectus. Vocamus Ens esse obiectũ terminatiuum seu Extensiuum.

40. VErum est quod Essentia & Existentia identificantur in Creatore: in Creaturis tamen distinguuntur realiter. Accidentia quoque Essentiam ab existentiâ habent distinctam realiter: quanquam ipsorum existentia propria est imperfecta: nam perfectam sortiuntur, dum actualiter inhærenter vniuntur subiecto.

De passionibus Entis.

Res

41. RES ipsa docet, quod Ens habeat veras passiones de se demonstrabiles: quæ sunt Vnum, Verum, Bonum: aliâs habitus Metaphysicus non diceretur scientificus. Conuertuntur cum Ente Realiter & Attributiuè, sed non conceptibiliter.

42. ATtributio est Triplex Identica, Denominatiua, & Quiditatiua. Ens dicit Quiditatiuam attributionem ad suas pasiones; ad vltimas differentias: & modos qui sunt Esse per se, & Esse in alio. Non distinguitur realiter, à suis pasionibus, sed solâ Ratione.

De Vno.

43 RAtio formalis vnius, est negatiua, non positiua: & ideo vnum quatenus est passio Entis, negationem diuisionis addit supra Ens. Quoniam verò in vno, duo considerantur: primum se habet tanquam materiale; nempe Entitas: Alterum tanquam formale, scilicet indiuisio: hinc euenit quod vnum magis præcipuè Entitatem Rei, quæ est vna exprimat, minus autem præcipuè indiuisionem.

44. INter vnum quod dicitur passio Entis, & vnum prædicamentale datur differentia: hoc enim addit aliquid positiuum, nempe Esse indiuisum quantitatiuum accidentale, quod dat quantitas coniuncta rei quantæ. Nam vnitas numeralis non significat simpliciter indiuisionem, vt Transcendentalis: sed significat indiuisionem talem & modificatam scilicet in quantitate.

45. OBtinet diuisio Entis in vnum & multa principatum, ita vt sit prior illâ, quâ diuiditur in quantum, & non quantum; finitum & infinitum. Quanquam diuisiones Entis, quæ numerantur esse plurimæ, diuerso respectu rectè dicantur priores, vel posteriores.

46. DIfferentia indiuidualis nimirum Hæcceitas, non statuitur pro principio indiuiduationis, & vnitatis numericæ: item neq; forma: neq; sola quantitas: neq; principia intrinseca: neq; aggregatum ex materiâ & quantitate; sed materia signata, quæ concipitur tãquam radix, & quædam inchoatio originalis indiuiduationis. Cæterùm intelligentiæ seipsis indiuiduantur. Accidentia autem per substantiam, à quâ Esse & conseruationem consequuntur.

De

47. IN eo consistit ratio veritatis, vt existat adæquatio & conformitas inter Rem & Intellectum: quæ tamen adæquatio petenda, ex habitudine ad Intellectum Diuinum, & quidem per se ac principaliter: non autem ad humanum. Nam res ex eo sunt veræ, quia sunt similes & adæquatæ exemplaribus, quæ sunt in mente Diuinâ. Est autem veritas significatiuè in vocibus & propositionibus: fundamentaliter in Rebus: formaliter in intellectu. Quanquam veritas dicta Transcendentalis formaliter, & secundùm Essentiam in ipsis rebus reperitur: quæ de præcipuo significato denotat Entitatem, supra quam addit conformitatem seu Relationẽ.

48. COmmodius natura Boni non potest explicari, nisi hac definitione: Bonum est quod omnia appetunt. Secundum suam Essentiam, & per se primò dicit naturam absolutam, consistentem in rei perfectione, & debitâ consummatione. Quare de principali significato significat naturam consummatam: secundariò verò Relationem ad appetitum; quæ non appetibilis, sed conuenientis est, quam addit supra ens.

pra Ens. Bonum, multipliciter diuiditur in Transcendentale, morale, & physicum &c.

De Substantia Immateriali.

49. AB omni materiâ seiunctæ & immateriales substantiæ in hoc vniuerso dantur, præter substantiam corpoream. Appellantur intelligentiæ vt sunt Angeli, & primus motor. Hinc optimè sequitur, nisi darentur creaturæ spirituales, hoc vniuersum posset dici imperfectum.

50. NAturæ instinctu cognosci potest, quod Deus sit, vnus, primus, Independens, æternus, Immobilis, Actus purus, simplex, Indiuisibilis &c. Vocatur ab Arist: frequenter causa prima, & motor primus. Est verò infiniti vigoris: Essentiæ: Perfectionis; intelligens seipsum in seipso: prouidet omnibus superioribus & inferioribus vniuersaliter & sigillatim. Habet enim se in vniuerso, tanquam Optimus paterfamilias, qui in suâ familiâ prouidet omnibus, iuxta conditionem vniuscuiusq; ita vt aliter prouideat filiis: aliter seruis: aliter brutis animantibus &c. Hæc prima intelli-

telligentia, vtrum agat de necessitate naturæ; ex philosophiâ Arist. non poterit clarè & euidenter demonstrari.

51. TOt non sunt secundæ intelligentiæ: quot species rerum sensibiles: imò neq; tot, quot Orbes cælestes: sed ipsarum numerus penè est infinitus. Vnde probabilius habetur, quod excedant numerum præteritorum hominum, præsentium, & futurorum. Sunt à solo Deo creatæ. Competit eis compositio ex actu & potentiâ: genere & differentiâ: Esse & Essentiâ, naturâ & supposito &c.

52. VTrum suppositum à Naturâ distinguatur: id non facile deduci poterit, ex principiis naturæ: sed solius fidei. Addit suppositum aliquid reale positiuum supra naturam, quod se habet vt terminus primus, & vltimus na turæ substantialis; eam reddendo vlteriori termino incommunicabilem.

53. RAtionalis Anima & Angelus differunt inter se: penes Esse Logicum. Physicum. Metaphysicum, & Theologicum. Idem Angelus iuxta diuersam considerationem mensuratur Aeuo, Tempore discreto, Tempore continuo, æternitate participatâ, quæ consistit in visio-

visione Beatificâ, & fruitione Essentiæ Dei præpotentis: cui sit Decus, Honor, & gloria immortalis per omnes omnium temporum æternitates.

Laudetur Sanctissima Trinitas atq; Beatissima Virgo.



SVB FELICISSIMIS AVSPICIIS

MAGNIFICI & ADMODVM REVERENDI DOMINI,

D. IACOBI VSTIENSIS, S. T. & I. Vq;

Doctoris & Professoris, Ecclesiæ Collegiatæ SANCTI
FLORIANI Custodis, Almæ Academ. Crac.

RECTORIS

Dignissimi & Vigilantissimi.

B J C

B 3. 1. 8.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0007635